

GLORIA STELLARUM

Ecclesiastici 43. v. 10.

DIVUS IVO

Clarissimum Jurisprudentiæ decus, & glorioſiſ-
fimum omnigenæ virtutis compendium.

SERENISSIMÆ DOMUI AUSTRIACÆ,
AUGUSTISSIMI & INVICTISSIMI
IMPERATORIS

LEOPOLDI I.

Sub hac bellorum nubila singulariter adfulgescens,

Panegyri quođ annis fieri solita,

Coram

SENATU POPULOQUE ACADEMICO,

In

BASILICA TEYNENSI EXHIBITUS

à

PRÆNOBILI & ERUDITO DOMINO

JOANNE ANTONIO FÖRSCHAN, BOHE-
mo-Pragense, Juris utriusque Auditore.

Anno 1703. Mensē Junio Die 15



Praga in Magno Collegio Carolino Typis Georgij Labaun.

SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI AC EXCELLENTISSIMI
DOMINI DOMINI

WENCESLAI
ADALBERTI,
SAC. ROM. IMP. COMITIS
á
STERNBERG.

Domini in Grünberg , Dürrenholtz , Graupen , Sedletz ,
Horassdovitz & Kletzan

AUREI VELLERIS EQVITIS ,
Sacrae Cæsareæ Regieq; Majestatis, intimi

CONSILIARII ,
CAMERARII ,
REGII LOCUMTENENTIS ,
SUPREMI IN REGNO BOHEMIAE

JUDICIS ,

Ac demum Aula Regie

MARESCHALLI ,

Dñi Dñi sui Gratosissimi



(D) T (S)

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME
DOMINE DOMINE
M E C C E N A S
GRATIOSISSIME.



D fulgores Illustrissima & Excellentissima stellæ Tuae , mea stellarum gloria se se inclinat , ita pateris Illustrissime & Excellentissime Domine Domine Comes : & velut si in tua unica Stella omne suum decus non tam effigiatum , quam ingenitum videret , apud eandem ut fieri amat , inter eos , qui sui simile aliquid suspicunt humiliter , gratiofa es se desiderat . Dabis hoc tuae Stellæ Gentilitia , ut quidquid stelleum supra horizontem Bohemum exoritur , illud apud tuum sidus , tanquam stellarum Bohemiae singulare decus sibi refugium querat : nimurum , si , quod ajuunt Astrologi , stella stellam claritate superat ; Stella tua Illustrissima & Excellentissima stellas circa circum effulgescentes , ausim dicere , ita ferè superat , ut inter omnes emineat , velut inter minores Luna stellas . Hinc est , quod Divus Ivo meu solenni panegyri , coram Alma Universitate Carolo - Ferdinandea Pragensi , cuius & tu es sidus longe fulgidissimum , Gloria stellarum virtutum nempe omnigenarum , mibi dictus tibi justissimè consecratus esse debeat : quia pæne totum , unde stellarum gloriam eundem compellito , in tua resulgere Stella , & suspexi pridem , & etiamnum adspicio , & inclinatō vertice revereor : ita quidem , ut sine multa cura , quod de Irone meo retuli , ex Claudio tibi de Cæsare optimo pronunciatum iſthic ex Plinio secundo :

Eniuit aliquis in bello , sed obsolevit in pace - - - postremo adhuc nemo extitit , cuius virtutes nullò vi torum confiniō laderentur : at Principi nostro (tibi inquam Comes Illustrissime & Excellentissime) quanta concordia , quantusque concentus omnium laudum (virtutum nempe omnis-



amnisque gloriae contigit! certè nisi in tuam peccatum me crederem Mæ-
 destiam enarrarem virtutum tuarum symphoniam: quis, quantusque sis in
 vera & sincera in DEUM pietate: quis & quantus in sapientia, ac præprimitie
 in Jurisprudentia: quis deinde quantusque in Codros Mæcenas: quis & quan-
 tus in protegenda ubique justitia Justinianus. Quid dicam de concentu om-
 nis gloriae, que vel olim in majoribus tuis resedit, vel nunc in te uno resulget,
 paene omnis in unum collata: Quis enim gradus honoris est, aut Glorie in Reg-
 no Bohemiae, quem Tu non & attingisti, & decorasti? quis deinde gradus ho-
 noris aut gloriae superest, quia non expectat, & latabitur, ubi à Te fuerit con-
 decoratum. Habet hoc exortus magnorum siderum, ut de illis nihil modicum
 possit expectari, quandoquidem eadem, vel in primis incunabulis jamjam lu-
 ce, quā stellæ aliae non ante senium perfruuntur conspicua esse annotantur:
 Pausisti certè Comes Illustrissime & Excellentissime jam à teneris, & ut ita
 dicam, cum lacte ferè nihil aliud, quam merissimos ut magnorum nat alium
 splendores, ita & fulgores magnarum dignitatum, quibus tui Tibi Majores
 præluxerunt, ut in eorum vestigia totus concederes, & veluti stellarum, non
 tam Genilitarum tuarum, quam & quarumcunque aliarum, gloria veris-
 sima emitesceres. Proinde age Illustrissime & Excellentissime Domine Comes,
 & de Tua Stella Genilitia, aut si mavis, de tua acquisita virtutum & hono-
 rum, ferè plus quam stellæ gloria, vel unum radium in hunc meum, tibi de-
 votissimum Ivonem dirige, cui ego lemma facile superinscripsero, & cum ea
 totam tibi iteratò hanc meam stellarum Gloriam transcripsero: irradando
 regit. Sic ubi hanc Gloriam Ivoneam Stelle Tuae, ab eadem & il-
 lustrandam amplius, & servandam securius submitto, ut ita contingat, sup-
 plex accido, simul etiam pro me ipso id uxum flagito Illustrissime & Excellen-
 tissime Domine Domine Comes, fave ut stellæ Tuae gloriam deinceps etiam ve-
 nerabundus exosculer. Quod ubi à Te, ut soles esse in tuos Clientes amenus.
 obtinuero, latus illud Poëtae, tam mihi, quam Divo meo Ivoni accinam

Tam fortunatis forsitan custodia stellis
 Firmior esse potest, tutior esse nequit.

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI DOMINI

humillimus & aeternum devotissimum servus

Joannes Antonius Förster.



ORATIO.

FTsi quidem in latè patente Or-
bis universi Machina inveniuntur
non pauci , qui præsentium tempo-
rum quoescunque bellicos animo-
rum dissidentium fremitus , & pænè plus quam
barbaros armorum concrepantium strepitus , in
stellarū varios seu cursus , seu recursus audeant ex-
onerare , adhuc tamen in tantum suis quibuscunq;
opinionibus illi me nō perterrefaciunt , quò minus
& ego hodie ad eas ipsas stellas currā , & hodiernæ
dictioni meæ gloriā ab ijsdem requiram A A.
Spectatissimi. Etenim illa ego cærulecentium
orbium noctiluca sidera , tot cladium sangvineō
madore irrogantium censeam esse scaturigines ?
illa ego in Megacosmi totius salutem vigilantia
mundi cælestis phenomena , tanti horroris co-
gnatarum pæne acierum dicam esse alimenta ? illa
ego inter atratos caligantis Orbis , & pæne totius
naturæ ellipses benignissima cæli miserescentis
lumina , tot fœdissimorum gemituum inter mille

vulnera, velut totidem è suo hospitio abiturientis
animæ ostia, æstimem esse profluvia? nolim adeò
injurius unquam serenissimis cæli faculis ego ju-
dicer, ut quæ sphæras cælestes & orbes terrestres
illuminant solùm, sed non perturbant, ut quæ in
cælestis Capitolij suña specula consistentes mundi
Regiones inferioris omnes observant solùm, sed
non impugnant, ut quæ utriusque Orbis sese In-
quilinis jucundō aspectu propinant solùm, sed non
infestant: meliora ego desupernis illis inconnivæ
lucis fontibus, de purissimis illis Empyrei ignibus
plusquàm vestalibus, de candidissimis sinceri ful-
goris interpretibus, meliora ego inquam mihi per-
fvaserim: unde unde bella & hostiles furiæ, fune-
ra, & infestis obvia signis signa, & pila minantia
pilis, & funestum quodcunque Martis theatrum
suam sibi habeant originem; citius ego eadem
omnia vel ab inferis Lemni, aut Liparæ spelæis,
vel à Principis Cyclopum Poliphemi antris, vel ab
ipsis denique, sacris Plutoni Vulcanijs, quàm ab
innocuis siderum habitaculis, à stellescentibus cæ-
litum prætorijs, atque à lucidissimis illis beata-
rum mentium synedrijs crediderim exoriri. Hinc
est, quòd ad ipsa hæc utcunque vindicata astrorum
me hodie convertam atria, inde tam pro Te fa-
cultas Clarissima, quàm præprimis pro Divo In-
digete Tuo gloriam deducturus, cùm eundem
ipsum *Gloriam stellarum*, illarum nempe cælo ju-
giter

giter refulgentium excubiarum gloriam palam propositurus sum. Sed ad hæc mea ita mihi vide re videor pæne expavescis Facultas Clarissima, & meam hanc velut inconsultam Juris consulti mentem , fronte plus quam censoria pæne aversaris : quid enim facultati Clarissimæ cum exiguis hisce tenebrarum nitedulis ? quid Divo facultatis dictæ Indigeti cum semilucidis umbrarum Incolis ? quid denique Clarissimorum Oratori cum phasmatis ad nocturnas caligines unicè condemnatis ? sed me mineris Facultas Clarissima mihi charissima, me coram Carolo-Ferdinandea Universitate, quæ cælum longè est serenissimum perorare : quid autem coram cælo nitidius dicatur quam de stellis ? dicam proinde Tui gratia Facultas Clarissima, quam mihi jam jam faventem adspicio, dicam *Stellarum Gloriam* Divum Iyonem tuum, & sic eum dicam, ut, quot in eo virtutes, tot in eo stellas enumeraverim ; sed quis stellas innumeratas omnes enumeret ? numerabo principes, è quibus facile de reliquis judicetur.

Tu solùm Magnifice Domine Rector, Vos Spectabiles Domini Decani, Eximij, Clarissimi, Excellentissimi Doctissimique Professores, Tu denique Senatus Populéque Academice cæterique titulis omnibus spectatissimi Auditores; Vos inquam velut totidem amænissima cæli Carolo-Ferdinandi sidera favores vestros, hoc est radios

aliquot benignissimos Oratori stelleo adjicite & pro
mea Stellarum Gloria mihi gloriā adjecistis favete.

Sed ego à Stellis gloriam IVONI meo
proh! quām nimis à modica procul apparente lu-
cula delusus Orator auspicabor. An non enim
perspectum habere debueram, ut inter stellas op-
timi, ita & pessimi ominis sidera reperiri? an non
mecum ipse multō ante debueram recogitare,
ut inter cæli spatia auspicatos numerari Joves,
ad blandientes Mercurios, & Veneres plerumque
arridentes, ita non minùs ibidem annotari lunas
mera ex inconstantia concretas, Martes belli fu-
rore horrifonos, & saturnos ferreō rigore obar-
matos? an non debueram providus videre ut in-
ter Zodiaci signa, (reliqua enim minora nè si
enarrarem omnia finem non reperirem præte-
reo) censeri Velleris aurei arietes, & geminos
omnimodā gratiarum cohorte stipatos, & Virgi-
nes plenissimō ipsius copiæ cornu incinctas, ita
haud absimile:

(a) Ovidius
Lib. 2. Metam.
morph.

(a) Æmonios arcus, violentique ora Leonis
Sævaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atq; aliter curvantē brachia crancrū.
velut inauspicata omnia, & non nisi merō horro-
re suffulta ibidem monstra, & portenta inveniri.
Et verò non diffiteor, hæc stellarum portenta in
illis orbibus haberi in quibus vel ipsi auspicati Jo-
ves sunt incestuosí, & ipsi adeò Mercurij faventi-
ores

ores sunt sacrilegi , & in quibus Veneres quales quales non possunt esse aliæ quàm furiosæ : Ne-
mo tamen velim fidem adhibeat , quòd ab ijs Orbibus , & Orbium *Stellis Gloriam* unam ali-
quam Ivoni nostro sim adjecturus.

Habeant sibi Orbæ illi Græcorum magis quàm Ægyptiorum , habeant sibi inquam suas stellas , sed quæ nubilis spississimis opacantur : habeant sibi sua sidera , sed quæ non raro in crinita terra-
rum degenerant funalia : habeant sibi suos splen-
dores , sed qui passim fatui potius censentur te-
nebriones .

(b) - - - - Sunt altera nobis (b) Claudi-
Sidera, sunt orbes alij anus de rap.
prof. lib. 2.

In quibus & lumen purius , & solem ipsum Ely-
sium multò licet suspicere Augustiorem .

- - - - Ubi pretiosior ætas
Aurea progenies habitat , semp̄que tenetur
Quod superi meruere semel
Libetne tantisper hos alios Orbæ & hoc Cælum
in quo altera sidera , & ejusmodi stellæ , quæ ve-
ra nostri Ivonis gloria fuerint , comorantur , tan-
tisper suspicere ? notate .

(c) *Regia solis erat sublimibus alta columnis* (c) Ovidiu
Claramicante auro, flamasq; imitante pyropo. Lib: 2. Metamorph:

Et Virtutem in modum cæli cum animo vestro
advertite , & Orbæ cælicos alteros à cælo fictitio
Poëtarum omnino diversissimos cogitate . O

quod illud Cælum ! quæ in eo sidera ? quæ stellæ
quam suâ luce ab ijs quas oculis indies perlegi-
mus, quam longè dissimiles, & quanto fulgen-
tiores ! Stellæ immutabili jubare trabeatæ, stel-
læ nunquam ullâ caligine obfuscatae, stellæ in-
variabili semper lumine radiantes. Sic dum tu-
um sacrum Indigetem Facultas Clarissima vir-
tutibus pæne omnibus, velut totidem stellis de-
corum suspicio, quidni *Gloriam Stellarum*, quia
Virtutibus hinc & hinc stellescentem indigetem ?
Est enim verò Virtus Divinæ auræ particula sub-
tilissima, est Virtus Splendor quidam tacitis figu-
ris Mortalium animis insculptus : est Virtus ju-
bar immortale in penetralibus humanæ mentis
clarissimè effulgescens : utpote illa langvore
quamvis fatali correptos excitat ; illa caligine plus
quam Ægyptiacâ obsessos illuminat ; illa tenebris,
etiam plus quam Cimereis imersos serenat, collu-
strat, & consolatur. O Virtus quantum in menti-
bus hominum enitescis, in rebus humanis prælu-
ces, & in quibusunque etiam te latere volentibus,
& supprimere conantibus, adhuc tamen elucescis !
quantam Lucem ! quod jubar, aut quam stellarum
congeriem putatis in uno nostro Ivone repositam ?
quem ego, ut breviter dicam omnia, virtutum
omnium singulare compendium, & ideo *Stellarū*
Gloriam sincerissimam affirmaverim. Nescio si
non quæ de stilicone Claudianus ille Claudio ceci-
nit,

nit, ego hodie de Ivone nostro verius dixerim.

(d) - - - Etenim mortalibus, ex quo ^{(d) Lib: i de}
Tellus cæpta coli : nunquam sincera bonorum ^{Laud. filic:}
Sors ulli concessa viro - - -

= - - - Bellis insignior alter
Sed pacem fædat vitijs; his publica fælix
Sed privata minus: partim singula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, bunc robur in armis:
Hunc rigor, bunc pietas; illum solertia Juris:
Hunc soboles castig, tori sparguntur in omnes,
In te mista fluunt, & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Divinissime Ivo Sacerrime Indiges! quām verè
in complures alios sparguntur virtutū decora, quæ
tu unus solus in te mista comprehendis: idcirco *Stel-*
larum Gloria meritò compellandus, quia ex virtu-
tibus totus compositus. Erigite tantillum oculos
& aciem eorum in ipsam hanc, ipsa Phidiæ Miner-
væ, & Praxitelis Venere, & Lysippi Alexandrò mul-
tò elaboratiorem à quavis virtute radiantem Ivo-
nis nostri figuram advertite. Videbitis sanè caput
ejus non quidem ab auro, sed à diviniore Sapientia
& Juris utriusq; prudentia longè fulgidissimum:
perspicietis ejusdem binos oculos, velut duas in-
violatæ Themidis bilances multo clarissimas: lin-
gvam ejus velut cymbalum tinniens in auribus ipsi-
us DEI merissima pietate coruscam adverteretis: ob-
servabitis pectus ejus amplius ac ipsum Æthnæ fo-
cum divinō amore inflamatum: conspicietis

deinde manus ejus , vult duos uniones eliquatos,
mirum in modum rutilantes ; pedes denique suâ
firmitate & immobili constantiâ præprimis speci-
osos obstupecetis. O virtutem Ivoneam usque
adeò stelleam , usque adeò gloriosam ! quam etsi
quidem ad amissim vellem coràm hic propositam;
quoniam tamen in ea facundissimorū etiam labe-
scit facundia , tantùm non anxius hæreo , & quid
potius agam ignoro : sed nè vel tantillam injecisse
remoram videar gloriæ stellatæ Ivonis (quando-
quidē vel tantillum hæfisse , tacuisse est , tacuisse au-
tem vel modicum in gloria est fecisse periculum , nè
dicam naufragium) postliminio coràm propo-
nere libet , quàm unô ferè aspeximus oculô dunta-
xat lacerrimi Ivonis statuam , ut ubiubi eam à capi-
te ad calcem usque fuerimus perscrutati , tanto fa-
cilius *Gloriam stellarum* Ivoneam insimul perlega-
mus , id quod dum aggredior , non ineptè occurrit ,
quod de Gigante illo Babylonico sacræ memorant

(e) *Daniel.* Ephemerides , (e) cuius caput erat ex auro opti-
mo ; sed facessat caput isthoc aureum , quando Ivo-
nis nostri totum est ex stellis , & quidem Eximijs &
Clarissimis , & idcirco primæ magnitudinis com-
positum . Quis enim hōc nostrō Ivone vel in sacris
scientijs clarior , vel in politicis utriusque Juris Le-
gibus magis eximius extitit ? Parisios & Aurelia-
num testes præprimis compello Urbes Galliæ prin-
cipes , in quibus utraque in sapientia , ità egit Disci-
pulum

pulum, ut Magistrô indigere non videretur, & itâ
mox Magistrum induit, ut si Discipulū egisset nun-
quā, nempè Stella, vel ab incunabulis Stella semper
est semper lucens semper clara, semper eximia. Po-
terat hoc videri prænotâsse, etiam ante incunabula,
(f) cùm vel Matrem suam sub nocturnam quietem (f) in altis
itâ visus est illustrâsse, ut nemo posset dubitare stel- Sanctor: ad
lam non modo clarissimam, sed & stellarum Claris- 19. Maij.
simarum, id est Jurisconsultorum Gloriam in lu-
cem prodituram. (g) Fabula sit potius quâm histo- (g) L. flor:
ria, quod de Servio Tullio floridi illi Annales Lucij
flori meminere, quem clarum fore Tanaquili visa
circa caput flâma promiserat: verissimum ego ju-
dicavero fuisse prænuntium, fore olim Ivonem cla-
rissimum, ex visa circa Matrem ipsam flâma multò
diviniore. Quâm vellem hanc tuam stelleam Ju-
risprudentiam debitum honorum encomijs aliquan-
tò fusioribus isthic decorare, quod vel ipsi facultati
Clarissimæ nimium obstric̄tus teneor; sed parce
Mea Facultas, stella stellam præit, & stella stellam
sequitur: caput quod in tuo Ivone est totum aure-
um, stelleum, imò stellata Jurisprudentia, quâm ar-
tis pictoriæ periti plerumque veste stellis insignita
effigiant, oculi insequantur, & me sibi vendicant,
ut vel in ijs persolvam de Justitia quod dicere cœpi
in capite. (h) Oculi sapientis in manibus sunt, sapi- (h) in prope:
ens de se ipso, imò de Ivone nostro tulit oraculum Græcorum
sapientissimum. Pingite Apelles, pingite in Sym-
Bolo

bolo Jurisprudentiam, & pingite super sceptro manum apertam, in medio manus inserite oculum, & Iwonis oculos, & Iwonis nostri Justitiam depinxistis. Jurisprudentia est Divinarum rerum atque humana-
rum notitia, sed notitia est in capite, quæ nisi etiā
in oculis existat & nisi oculi habeantur in manibus,
rudis est, & vix nomine digna est Justitia. Oculos
ad hoc pæne habere visus est Divus Ivo noster, ut,
ubi ubi justitiam videret impeditam, amotis illico
repagulis, in manus Judicum suos imponeret ocu-
los, quoad suo throno Justitia staret inconcussa.
Fallor, nisi quia Ivo Justitiæ fuit oculus lucidissi-
mus, quòd eandem semper gessit in oculis, malens
suos ipsos amittere oculos, quām Justitiam videre

(i) *Lucr. 10. cap. vers. 23.* exoculatam. (i) Beati oculi qui vident, quæ vos vi-
detis, Justitiam nempè non jam oculis velatam,
sed apertissimè videntem. Viderunt hoc olim
Rhedenenses, conspexerunt deinde Trecorenses,
quibus ex officio Justitiæ ità administravit, ut, si qui-
dem abijs peteretur testimoniū, omnium ore Iwo-
nis oculi Justitiæ duo sidera patim ediceretur, quin
& adoraretur. Sed quid à profanis potius stellis
gloriam Iwoni nostro, quām à sacrationibus Lucis
Divinæ penetralibus quæriri impensius? an enim
ità soli Justitiæ devotum crediderim, quò minus,
vel lingvam suam, vel iūium pectus ad fulgorem
stelleum applicaret; atqui lingvam suam ità pau-
perum in primis usibus pientissimus Samaritanus
conse-

consecravit, ut nihil aliud videretur accurare, at-
qui pectus suum, ità Divinæ charitati dedicavit,
ut seu merus Vesuvius incendijs Divinis continuo
notaretur exæstuare. (*l*) Lucernæ piscis lingvam (*l*) *Plini. hist.*
diceres inesse Itoni ità ardebat, ut causas egentium *naturalium*.
etiam non vocatus ageret advocatus: (*m*) ut autem (*m*) *Surius in*
pro domo sua causam diceret, totis noctibus in ora-*vita ejus*.
tione desudabat pro alijs, ut amplius suam pietä-
tem manifestaret, notatus in diversis etiam dica-
sterijs eodem tempore agere causidicum; (*n*) pro (*n*) *Grafius*
se autem, ut Deo sinceri sensu pectoris comproba-*in vita ejus*.
ret, Divinis caloribus usque adeo plerumque effe-
vescebat, ut sibi tantum non eruptus & sensibus
omnibus videretur destitutus. (*o*) Quis jam miretur (*o*) *Math: 12.*
ex abundantia cordis os locutum, eructasse ver-*vers: 35. Psa:*
bum bonum, usque adeo, ut neque unam causam,
unquam perdidisse annotatus sit, (*p*) quam DEI (*p*) *Surius in*
causa suscepit. *Quidni pæana meritum toties Vi-*
vita.
ctori, quin & numinis ipsius triumphatori, quo-
ad suam mensam considens, & secum velut chari-
tate decertans conspicatus est, Panegyristes accinā
Orator: facerem id sanè, nisì plura alia non minoris
gloriæ, quām gratiæ sidera, ità copiosus Ivo noster
refulget à virtutibus, meam sibi svadām vellent
famulari: nec reluctor, ità nempè stellarum in ob-
sequium facilis est eloquentia. Et ô quæ decora
in manibus inque ipsis pedibus, quod mirere aspi-
cio! (*q*) Manus nescio quis hyancithis plenas cir- (*q*) *Cant:*
cum-*cant: cap. 5.*
vers: 14.

cumtulit sacrorum canticorum coronatus Vates
innuit: quid aliud ego hyacinthos hosce, quam ope-
ra sancta indigetem. Quæ veluti totidem coru-
scantes stellas Ivoni meo applicem: quod si enim
manus ejus perlustro acuratius, O quot hyacinthis
plenissimas offendō, quos ille in Codros & Ibycos

(r) Actasan
ctorū ad 19.
Mayj.

quot diebus largissimè effundebat, (r) ut non sinè

Divum numine & nec sinè felici omine in pago Di-
vi Martini natus credi potuerit, qui usque adeò
totum Martinum suum pæne fecit, ut in Ivone re-
danimatus observaretur Martinus: Quis enim hunc
unquam interpellavit, qui abunde quidquid petijt
non retulerit? tam benignus ut vel sua vellera Ovis

Ibidem

amantissima Ivo noster non sibi sed alijs ferre dicti-
taret, & ostenderet, cum sæpe saepius ad extrēmum

(s) Math: 24
cap. vers. 45.

usque dodrantem sese denudaret: verè: (s) fidelis
servus & prudens, quem Deus familiæ suæ paupe-
ri pro eo tempore videbatur unicè constituisse nu-
tritum, quando insuper eidem concessit, ut non
(t) in vita

sinè grandi miraculo, (t) non semel pane unico
quam plurimos satiaret.

Accedite Pauperes, & ubi hanc præviè largi-
(u) in via
fluam manum basiaveritis, (u) illud quod D. Ai-
san: Osvaldi Regiæ Osvaldi dexteræ est apprecatus, eti-
am hic repetite, ut hæc manus nunquam compu-
trescat, quæ vos in vestra egestate in tantum fecit
enitescere. Sed manus ab hyacinthis stelleſcentes

videre licuit, an etiam pedes fortè similiter stellis
non inferiores licebit intueri? (x) speciosi, & ut

alij legunt rádiosi pedes Evangelizantium, & qui-
dem Evangelizantium bona nuncupantur: an cre-
dam etiam radiosos ideò Iwonis nostri pedes exti-
tisse, certè tot ille bona evangelizavit suâ in prote-
gendo justitiam fortitudine, ut non facile aliis ac
Iwo noster unicus universæ Trecorensum Ecclesiæ *in vita*,
ab impugnatoribus validissimis alcyonia peperit
longè fortunatissima: proptereà magnis sæpe im-
petitus injurijs, sed Horatiano similis illi (*y*) quem (*y*) *Horat.*
Isaiae cap. 52
vers. 7.

Sitotus illabatur Orbis.

Impavidum ferient ruine.

Firmissimè suo secum in animo gerens, quod
Imperator ille symbolicè, concusstæ quidem, sed
pedibus tamen adhuc consistenti inscripserat sta-
tuæ, *adbuc stat.* Stetit ille inter fulminantes ipsius
Jovis Gallici minas etiam severissimas. Stetit in-
ter Enceladorum adeò complurium, novum Pelion
& Ossan ejaculantium tonitrua; stetit inter fu-
rias sæpè integrarum Urbium indignè frementium,
& tela & phalaricas in se vibrantium Ivo, sed im-
motus stetit; stellis non dissimilis, quæ sagittas eti-
am contra se dimissas, in tantum non metuant, ut,
si de iis liceret ita sentire, etiam rideant. Sic dum
etiam adhuc stas, sed in auge suprema, tanto Græ-
corum Callimacho gloriosior (*z*), quod non qui-
nem inter arma, sed inter astra consistas Ivo sacer-
rime, superest, ut quem *stellarum Gloriam lucu-*
lentè comprobavimus, ejusdem fulgores non mi-
nus experiamur.

(x) *Ad Ro-*
man: cap 10
vers 15. &
13. Carm.
Ord. 3.

(z) *Svid. a-*
pud Lauren-
Bayerlinck.

Ad te proinde me converto (quoniam voven-
do , quod antiquis semper fuit solenne finienda est
Oratio) Age Ivo stellee , & illam tuam stellarum
Gloriam , quam in terris agens à virtutum luce at-
traxisti , nunc tantò amplius in excelsa lucis Regia
constitutus , eandem in unum omnem collige , &
desuper unam domum præprimis , domum videlicet
Augustissimam Augustissimi & Invictissimi Cæ-
saris LEOPOLDII . Austriacam infunde , hinc eam
à tetricis bellorum undiq; exsurgentium nubilis pœ-
ne obfuscatam stellarum tuarum , quibus lux unicè
est agnata interiectu serena : inde eam à nefarijs
hostium , quis credat etiam Amicorum catapultis
undique circumvallatam stellarum tuarum , qui-
bus ipsi radij explicantur in sagittas munimento
conservaturus : certò certius autem vel ob agna-
tos fulgores , qui stellarum sunt omnium rubeo
candidos ejusdem domus Augustissimæ rubore &
candore præsignes campos , sic confirmaturus , ut
neque , aut quæcunque ab avito candore lilia , aut
qualescunq; inflammati ab innato rubore Leones
in gloriæ trophæum sibi quidquid asportaverint ,
quô in bona stella deinceps fortuna Austriaca duret
feliciter , vincat constanter , triumphet perenniter ,
Quam domum ubi sufficienter & luce & radijs tu-
orum Charitum Dive Ivo circumvallaveris , in al-
teram quoque domum (si parva licet componere
magnis) Carolo - Ferdinandeam , Inclytæ nimirum

Uni-

Universitatis Pragenæ domum, tuos nitores ità dispenseriſ, ut, quidquid hactenū in ea bene & feliciter cum ſcientiarum omnium incremento conſtitutum eſt, deinceps non minùs pro majori Facultatum omnium gloria ſuccrefcat, quin neq; ſuccrefcat ſolū, verū & gloriosè inclareſcat, & neque duntaxat inclareſcat, ſed insuper etiam ità ſoboleſcat, quoad tanquam verè magnum Jovis incremētum orbi universo effulgeſcat. Sed neque tui me par eſt oblivisci, in primis autem decet meminiffe Facultas Clariflma, tametſi enim claritate avita clareſcas, adhuc tamen ab hac tua tibi unicè devo-tiſſima ſtellarum *Gloria* meritò lumen tibi habeas longè clariflum.

Tu ſolū Ivo Clariflme age, tuos virtutum tuarum radios in tuam hanc Facultatem inconnivus dirige; in radijs faventibus te aufpicatum ſidus ex-hibe, in ſydere ter optato claritatem, quâ tu ſerenus ſemper emicas, concede; ac demum in hac ipſa claritate Ivonem te ſemper Clariflum, quia à virtuti-bus merè fulgidum, & ideò totum ſtelleum co-mu-nica; quē deinceps Domus Auguſtiffima velut Se-reniſſimū Evergeten Austriacā pietate vene-reetur; Alma Universitas, velut ſacerrimum Indigetē de-vinciflum affectu revereatur; Facultas autem ipſa Clariflma, velut, ſuum unum Gloriosiſſimum, & Stellatiſſimum Præſidem, veriſſimāmq; vel ideò *Stellarum Gloriam* ſubmiſiſſimā devotione diſ-favietur, deoſculetur. D I X I.

